

Parum certè sapit, qui belli huius causam in aere & sideribus potius quærit, quàm in ipsis rebus, hoc est, in hominum consilijs & factis. Tertia conditio euertit omnia funditus, vt quæ non absit solum, sed indissolubili argumento omnem illam vim significandi, de qua hîc agimus, adimat. Quicquid enim naturaliter aliquid significat, vel est significati causa, vel effectus, vel vtrumq; ab eadem causa productum quid existit. Cæterùm naturæ & substantiæ Cometarum repugnat, vt vel efficiat illa mala, vel ab eisdem efficiatur. Aliquando tamen contigisse fortasè potuit (vtrum cõtigerit, incertum esse aio) vt exhalatio aliqua ex eis (non omnia) vnà cum Cometa produceret. Quæ cum inficiari nullus pudens & prudens possit, perspicuè vides, experientiam non facere Cometas illorum infortuniorum prænuncios. Sed ne ratio quidem eis adscribi patitur. Fieri ergo non potest, vt prædicta infortunia naturaliter mortalibus annuncient.

De naturalibus signis satis multa, de artificialibus aliquid addendum. Quid vocemus artificiale signum retrò diximus. Sunt hæc duorum generum, humana & diuina. De humanis nihil est opus dicere, cum non sit in hominum potestate Cometas excitare, & in certa aliqua cæli parte collocare, vt certi eis aliquid ex pacto & consensione significant, sicut Terminum certo loco ad distinguendos fines ponere possunt. Diuina signa duplicia iterum sunt. Quædam enim certam habent & à Deo expressam significationem, quædam generalem notationem habent, specialem aut singularem nullam. Ex horum ordine, (ad quem monstra quoq; prodigia, ostenta, & inusitatè præterq; communem naturæ cursum euenientia, pertinent ferè omnia) sunt Cometæ. Horum signorum peculiarem indicationem nulla arte, nulla ratione, nulla methòdo cognoscere possumus: sed ab illis solis intelligi & cognosci potest, quibus Deus patefecit. Est enim hæc artificialium signorum natura, vt non aliter, quàm

ex.